


I N F U N E R E
VICTORII AMADEI III.
SARDINIAE REGIS
O R A T I O
HABITA IN SACELLO QUIRINALI
AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM
P I U M S E X T U M
P O N T . M A X .
A TIBERIO PICCOLOMINI
INTIMO EJUSDEM SANCTITATIS SUAE
CUBICULARIO



R O M A E

APUD LAZARINOS
M. DCC. XCVII.



Luigi Sabatelli inv.

Carlo Abbonini inc.

PIO SEXTO PONTIFICI MAXIMO

TIBERIUS PICCOLOMINI

N. M. Q. E.

DICATISSIMUS



ULTA jamdiu me admonebant, ut aliquam Tibi pro plurimis Tuis, ac praeclaris in me meritis contendarem grati animi significationem

II

exhibere . Etenim cum primum ecclesiasti-
ci , ut vocant , hominis agendas partes su-
scepi in hac Catholicae Religionis Sede , at-
que arce munitissima , eximia statim sin-
gularis beneficentiae erga me Tuae exper-
tus sum argumenta , cum scilicet Te man-
dante ad eum legatus sum profectus , quem
Tu pridem in sacrum Eminentissimorum Pa-
trum Collegium cooptaveras . Ex illo jam
tempore vix dici potest quanta me semper
facilitate , quantaque indulgentia sis prose-
cutes . Videbam interim testificandae meae
in Te voluntatis nullam satis idoneam mihi
copiam suppeterem ; qui nondum prorsus con-
firmata aetate , nec ingenio doctrinaeque co-
pia , nec rerum usu atque experientia va-
lerem , quibus fretus quidquam tandem co-
nari possem , quod ab Augustissimi , de-
que me optime meriti Principis dignitate
non abhorreret . Tot hisce ad perficien-
dum , quod mihi maxime erat in votis , et

III

esse oportebat , difficultibus et obstaculis occurrit in tempore eadem illa comitas Tua , qua ego antea semper usus fueram longe liberalissima . Cum enim humanissimis ultiro verbis me jussisti funebri laudatione prosequi amplissimum probatissimumque Regem VICTORIUM AMEDEUM , cui Tute solemni parentare pompa statuisses , viam tum mihi visus es explanare , per quam gravissimo itemque honestissimo in Te officio demum satisfacere ex sententia possem : si nempe quae de illo dixisse coram Te eidem justa solvente , typis exinde mandata Tibi inscriberem Tuо patrocinio tuerda , Tuоque nomine commendanda . Ita plane intelligebam fore ut expressa in Te extaret imago supremi illius bonorum omnium Datoris , cuius fungeris vice in terris , quique non recusat quin homines eiusdem Numen suum donis profiteantur , et colant , quae ab una ipsius munificentia

I V

acceperunt : Ipsam itidem liberalem op-
pido et egregiam animi tui magnitudinem
omnes suspexere quotquot vel ab exteris ter-
rarum plagis Te hactenus convenerunt viri
principes ; et non vulgari sapientiae atque
eruditionis laude praestantes , vel solertissi-
mum Moderatorem , et amantissimum nacti
sunt Pastorem ac Patrem . Quanta exinde
accesserit artibus optimisque disciplinis co-
pia et alacritas , quae nova soli ubertas ;
quaeque Urbis dignitas atque amplitudo ex-
titerit , neque instituti mei est hoc loco ef-
ferre , neque effterri tua moderatio patitur .
Haec certe aliaque bene multa ingenii tui
vere magni ac munificentissimi documenta
praedicabit sera posteritas : ubi autem nove-
rit ea Te praestitisse temporibus difficilimis ,
atque immanni curarum mole obrutum ac va-
riete distentum , aequanimitatem illam mi-
rabitur singularem , quam nihil quantumvis
asperum ac salebrosum commovere aut exte-

V

nuare unquam potuit , quaque factum est , ut
quae communi bono cognosceres expedire ,
christianaequae Reipublicae columen et in-
crementum spectare mature omnia provide-
ris et apprime perfeceris . Ego vero eo Tibi
me plus debere existimabo ; quo minus in
me esse facultatis perspexero ad quamvis
minimam promeritis Tuis gratiam referen-
dam . Illud praeterea mihi optatissimum ma-
ximeque opportunum video contingere , quod
tenue hoc ingenii , et diligentiae meae spe-
cimen aequo Te animo excepturum certo
scio , quippe quod quantumcumque est ;
dici haberique vere potest Tuum . Attamen
tot licet tantisque clementiae Tuae monu-
mentis auctus , et cumulatus aliquid mihi
animadverto in posterum desiderandum su-
peresse , ut videlicet talem me aliquando
praestare valeam , qualem Tu beneficiis in
me conferendis esse voluisti . Id ferme est ;
quod jam nunc , et vehementer exopto , et


V I

ad Tuae Sanctitatis Pedes provolutus pollicor ex animo , et Deo auspice a me perfectum iri confido ; quem quidem enixe rogare non desinam , ut Te diu sospitet , novisque in dies opibus ditet infinitae largitatis suae ad bonorum omnium solatium , ad populi Romani incolumitatem et decus , ad universae Ecclesiae praesidium , et ornamentum .





ORATIO



Apientissimo Dei O. M. consilio
factum est , BEATISSIME PA-
TER , ut ea aetate cum effraenis
novandarum rerum libido dominatur , cum tanquam
infesta Reipublicae bono Regum jura traducuntur ,
cum regium nomen quasi aliquod servitutis signum
delendum esse contenditur ; ea , inquam , aetate re-
gali in solio Viros sedere Europa inspexerit mode-
stissimos et continentissimos , qui ob acerrimum
tuendae publicae salutis , promovendaeque felicitatis

studium non solum oculos populorum suaे curae commissorum in sui admirationem inflexerint , verum etiam eorumdem animos fide sibi ac observantia devinxerint singulari . Ita scilicet universi orbis providentissimus Gubernator monitos quidem Reges voluit , ne credita sibi potestate contra communis officii normam abuterentur : populos autem , ne plus aequo blandientis eloquentiae lenocinio ab perversis hominibus capi se sinerent : cum perspectum haberent magis sibi amandam , quam formidandam potentiam illius Regis , qui non tam Dominus , quam Pater ipsorum utilitati curandae et coercendae pravorum licentiae esset a Deo constitutus .

Neque vero mihi opus est singulos percensere quos ipsi aut non multo antea vidimus , aut etiamnum videmus rerum summam administrare , et quorum idcirco aut adhuc viget omnium infixa mentibus recordatio , aut aciem quotidiana capit humannissima et liberalissima regnandi ratio et disciplina . De his satis pro instituto meo a me dictum existimabo , si unum VICTORIUM AMADEUM nominavero , non ita pridem e vivis importuno fato praereptum , qui traditas sibi patrii regni habenas ita rexit , ut quamvis satis etiamdum vigente aetate arripuerit , et non nisi jam ingravescente dimiserit ; dimittere tamen omnino non debuisse videbatur . Me-

moria retinet unusquisque nostrum quam acerbus quamque inusitatus moeror omnium perculerit animos , cum primum nunciatum est , VICTORIUM diem supremum obiisse . Atqui duos jam annos tam infirma erat valetudine , ut suis metum non semel injecerit , ne optimo Principe amantissimoque Parente in summis rerum angustiis et difficultatibus orbarentur . Fama scilicet jam ex illo tempore , quo is coepit imperii frenum moderari , longe lateque percrebuerat : in uno VICTORIO omnes eximii gentium rectoris dotes , ac decora conspirare . Haec ego mecum recolens , cum gravissima mihi et salebrosa de tanto Rege apud te dicendi provincia fuit demandata , verebar plurimum , ne illatus animo tuo ex ejus interitu dolor exinde sane recrudesceret , unde ipsi laus profectura esset maxima et sempiterna . Ubi vero memini , Te qua es insigni constantia et fortitudine molestissimam quamque vicissitudinem strenue semper et aequanimitate tulisse , nihil autem habuisse antiquius , quam ut eos vel patrocinio foveres , vel proemiis alliceres atque hortareris , vel palam praedicandos efferendosque curares , quos aut ingenio aut opera aut consilio et auctoritate de republica deque religione benemereri comperisses , ubi , inquam , mihi venerunt in mentem haec atque alia egregia ac pene divina tuae voluntatis argumenta , nihil

~~ 4 ~~

porro neque timendum mihi neque fluctuandum esse existimavi , quominus quae de amplissimo Principe dicenda forent coram Te eidem suprema solvente liberè omnia dicerem , etiamsi cum luctuosae ejus mortis atrocissima recordatione necessario conjunctum iri non ignorarem .

Jam ut ad rem veniam hinc omnis ducet initium , huc desinet oratio mea , ut ostendam VICTORIUM AMEDEUM ad regni gubernacula natura ipsa plane factum , educatione comparatum , usu et experientia regnandi cum suis tum alienis se apprime idoneum probasse , qui Regis partes pro dignitate sustineret . Tuum est , BEATISSIME PATER , quo auctore , atque auspice tantum onus suscepimus , singulari humanitate tua audiendique diligentia ita me erigere et confirmare , ut sin minus pro rei praestantia , locique amplitudine dixero , in haec saltem videar conatum omnem intendisse .

Duo in primis valere plurimum sentio , et esse propemodum necessaria , ut quis in praeclara qualibet facultate praestare possit ; insitam videlicet ad ejus rite incundam palaestram alacritatem cum diuturno , improboque in eadem perlustranda studio , et exercitatione conjunctam . Aegre enim quae ad rem opus fuerint persequaris et calleas , ubi animo in illam hebetem sis , vel alieno . Si vero industriam oce-

ris, disciplinamque neglexeris, in proposito ad per-
currendum stadio pari nunquam cum laude et cele-
ritate proficies. Quod quidem eo potiori jure ad il-
los arbitror pertinere, quibus incumbit ceteris praec-
esse ac dominari; quo magis arduum et periculosa
plenum aleae opus tractare ipsos oportet. Jam vero
quamquam diffiteri non ausim aliquos interdum ex-
titisse, qui cum vel nullis vel parum solidis praec-
ceptis institutisque informati ad rempublicam acces-
sissent, graves ac solertes magistratus aut principes
excellenti quodam ipsius naturae habitu se probave-
re: nonnullos etiam regnandi gloria satis floruisse,
quod inolita a natura vitia diligentis diuturnaque ope-
ra et labore eluenda aut emendanda curassent; in-
ficiari tamen posse neminem puto, si quando cum
natura illustri et liberali sapiens atque accurata edu-
catio consenserit, tum ad Regis probatissimi geren-
dam personam nihil jam desiderandum superesse.
Quare etiamsi nunquam ad regni culmen pervenis-
set VICTORIUS; nihilominus ex hoc ipso certo
ominari unicuique liceret bene sapienterque regna-
turum suisse, quod praesentissimis hisce praesidiis
et adiumentis ad regnandum instructus foret ac com-
paratus. Ne te diutius teneam, BEATISSIME PA-
TER, naturam illi hac in re largam et munificam
se praebuisse facile possim evincere, si in eorum

velim ire sententiam , qui opinantur plurimum ex avitis laudibus , a sanguinis communione in sobolem derivari . Satis enim esset commemorare AMADEOS , EMMANUELES , aliosque , quorum gloria in Sabaudae stirpis ditione temperanda , rebusque tam pace quam bello praeclare gestis illustranda adhuc viget et vigebit in aeternam memoriam posteritatis . Ego vero cum facile patior majorum virtute laudari homines , in quos quippe eadem dimanare aliqua ex parte valeat : tum illud experientia duce compertum habeo , avitae laudis germina non raro ab nativa praestantia degenerare . Quamquam quid mihi opus foret alibi argumenta quaerere , quae in ipso , quem laudaturus sum , Principe ultro se offerant plurima et maxima ?

Quotiescumque VICTORIUM adhuc puerum aut adolescentulum recolo , luculenta mihi in eo exhibetur imago illius viri lectissimi , quem Deus olim ad populi sui praesidium , et regimen vel a primo aetatis flore selegerat . Nihil is jam tum leve , puerile nihil praeferebat . Pascendo gregi a patre addictus impositum sibi mudus strenue ac naviter gerere : in castris alacris , et impavidus , in aula modestus ac temperatus , parenti obsequens , Saulis dicto audiens quaecumque idem jussisset mature aggredi ac solerter perficere : in omni fortuna rerumque vicissitu-

dine tueri officium , aequanimitatem servare : quibus aliisque hujusmodi probatissimae indolis experimentis quasi proladens se compararet ad populum frequentissimum aequissimis legibus instituendum , ad Dei cultum a quovis ethnicae superstitionis naevio vindicandum , ad mores rite componendos , ad infensissimos hostes profligandos , ad acerbissima vitae discrimina fortiter obeunda . At enim nonne his apprime consona licuit conspicari in VICTORII pueritia et adolescentia ad bona et praecclara quaeque nati ingenii monumenta ? In ejus scilicet non modo factis , sed vultu etiam habituque corporis eminebat mentis alacritas , animi magnitudo , descendit ardor , pietatis et continentiae studium singulare . Praeterea difficile dictu est , quo semper fuerit in parentes et necessarios amore et observantia , in praceptorum curatoresque officio , qua in inferiores facilitate , indulgentia in aequales , miseris opitulandi proclivitate , honestum quidquam , vel utile audentes fovendi excitandique contentionem . Ut quod olim de Trajano dictum accepimus , si nondum satis constaret , an aliquo Numine rectores terris darentur , indubium tamen foret Principem , de quo sermo procedit , divinitus constitutum ; imo , quod certissimo Dei oraculo de filio Jesse est praedicatum , eumdem fuisse inventum , qui ex divini cordis sententia dominaretur .

Quid si haec opima virtutum semina a natura seu verius a naturae providentissimo Auctore ejus animo insita quotidianis et exquisitis monitis praeceptisque uberibus quasi aquis irrigata eo fuerint sensim adducta , ut nativam commode et abunde fecunditatem explicarent? Quid , si cum egregiis summorum virorum monumentis , quae illi ex sacra et profana historia suppetere consueverunt , domestica pariter moderationis aequanimitatis beneficentiae religionis exempla conspiraverint , quibus ob oculos passim obversantibus , subjectis veluti facibus inflamari ipsum necesse erat ad amplissimam quamque et honestissimam rem capessendam vel exercendam? Praesertim vero cum in parentem optimum CAROLUM EMMANUELEM spectaret , de cuius magnis atque permultis in christianam aequa ac civilem rem publicam meritis neque hic est dicendi locus , neque plura dici possent quam quae adhuc Europa grato animi sensu et jucundissima recordatione admiratur et praedicat : quiique cum carissimum filium integerimis , eruditissimisque viris instituendum tradidisset , tum sese illi tamquam exemplar ad imitandum proposuit , in quo quidquid eximum studio et disciplina didicisset aptissimis prope effectum coloribus contemplaretur .

Verum tot inter ad integre sapienterque viven-

dum incitamenta et subsidia non deerant obstacula quae superare , non offendicula a quibus praecavere , non hostes quibuscum congregari et decertare illum oporteret : cuiusmodi obtigisse Davidi antequam solium concenderet divina testatur historia . Illos dico motus cupiditatum , illas voluptatis illecebros , quae ut unumquemque hominum in ipso juvenutis flore acriter solent impetere et agere in transversum conantur ; ita multo ipsos vehementius afficere dignoscuntur , si novas insuper vires capiant ab aulae pompa et luxu , a praeclaris majorum insignibus , a regio cultu et amplitudine , a fucato assentatorum alloquio , aliisque id genus benemultis , quibus redundant laqueata principum tecta periculosissimis animorum blandimentis . At quam haec ei fraudem parare aut inferre vim poterant , qui jam a teneris , ut ajunt , unguiculis nihil aggredi nihilque moliri consueverat , quod non ad rationis et honestatis normam expendisset ? Qui paulo firmiore aeyo totus eo incubuit , ut sapientum placitis et optimarum disciplinarum opibus mentem imbueret animumque formaret : qui eam nactus temporum iniquitatem , cum scriptis undique scateret Europa pestiferum lascivientis Philosophiae virus et foedissima opinionum monstra praeferentibus , illorum maxime lectione delectabatur , unde purissimum solidioris do-

ctrinae succum haurire , et intemeratae veritatis derivare candorem in se posse intelligeret : qui denique (quod rectae absolutissimaeque disciplinae caput est ac fundamentum) illud haberet propositum , catholicam in primis religionem cogitandi , agendique sequi magistrum ac ducem , et quidquid ab illius vel minimum deflecteret documentis atque institutis prorsus refugere atque aversari ? Noverat quippe alteque infixum retinebat et luculentis parentum exemplis et quotidianis praceptorum monitis , et sua ipse in sacris litteris evolvendis meditandisque assiduitate et solertia , nihil esse homine dignius , nihil ad vitae cursum honestè casteque transigendum , nihil ad publicam incolumitatem felicitatemque servandam ac provehendam magis necessarium religione a Deo tradita et Christi ore expedita et commendata . In quam unam si intueri non desinas , perspectum habes et cognitum quid vere utile sit , quid honestum , quid liceat , quid non item , quid tibi , quid aliis debreas , qua ratione tuis idem commodis et communi humani generis bono certissimè valeas copioseque consulere . Mirum illud profecto ac monstrum simile , quod cum vel a remotissimis antiquitatis saeculis omnes legumlatores et gentium imperio praefecti principes maximas curas et cogitationes in religionem intenderint ; nos in tanta ingeniorum alacrita-

te et omnigenae eruditionis luce eo devenerimus , ut illa ad constituendam gerendamque rempublicam vix ac ne vix quidem conferri existimetur oportere : penne ac si humana Societas , ut valeat et coalescat , religionis minime indigeat praesidio , et sibi relictam hominis ratio scite providere et praestare bene omnia possit , quae singula in civili corpore membra suo sibi jure propria adsciscunt , quaeque idem ab unoquoque ipsorum deberi sibi contendit . Absit vero , ut tam prave tamque praepostere non dicam sentiat **VICTORIUS** , sed ne id suspicetur quidem aut fingat , cui persuasum foret , religione sublata , fidem justitiam concordiam veram quamlibet solidamque virtutem frustra inter mortales desiderari , eamque unam aptissimum esse mutuae necessitudinis vinculum , et praecipuum felicitatis tum privatae tum publicae firmamentum .

Qui hoc fuerit animo cum adhuc inter privatos ageret , quique tam praesentibus ad bene regnandum opibus et incitamentis adjuvaretur , mirabimur ne , quod regem exinde amplissimum beneficentissimumque se gesserit ? Mirandum foret potius , si quod de Joas sacris Hebraeorum fastis edocemur , solio potitus et aetate confirmata a pristina bene temperatae vitae consuetudine et optime de aliis merendi studio praeter omnium expectationem defecisset . Sed

propositi tenax VICTORIUS Davidem institit aemulari , qui ubi primum Judaicum populum regendum suscepit , nihil reliquum fecit , ut improborum vim poenae severitate coiceret , excitatas regno superiore turbas et opinionum dissidia componeret , ditionis suae fines ab hostium impetu tueretur , Israeli tranquillitatem et copiam compararet .

Neque porro defuit Principi nostro in ipso regnandi aditu incommodum sane deterrimum , cui maturè foret occurendum . Gravis jampridem invalueraut Annonae caritas , quae majores in dies angustias portenderet , et extremam inopiam minitaretur . Quo sese vertit in tanto discrimine Rex humanissimus ? O plenum paternae pietatis et sapientiae consilium ! Cum probè teneat hujuscemodi calamitatis molem in eam potissimum Populi classem incumbere , quae quotidiano labore atque industria vicitare consuevit , publica extra ordinem opera , et substructiones indicit partim reficiendas , partim ex integro excitandas . Ita scilicet et laborantem praesenti ope multitudinem recreat atque sustentat , et novam Regni sui commodo et ornamento facere accessionem aggreditur . Datis interim gravissimis litteris ad complures Italiae aliasque maritimas Urbes , et eo missis cum ingenti auri pondere viris solertissimis , magna inde frumenti undique vis conquisita , atque in-

tra fines Taurinensis ditionis propere comportata squallorem abstersit ac maciem , quae omnium vultus infecerat , et corporum robur atque animorum laetitiam subito revocavit .

A tam faustis initiis jam tuto licebat coniicere quam prudens quam beneficus quam communis utilitatis studiosus in omne reliquum tempus futurus esset VICTORIUS . Quamquam non is tum primum isthaec animi ferme regii decora , et argumenta prae se tulit ; quippe quae multos ante annos in eo cooperant eminere , quam regalem nactus esset potestatem . Magna semper feretur VICTORII laus ob insignem ejus in bene ac salubriter imperando solertiam ac facultatem donec Taurinense vigebit Athenaeum ipsius in primis opera auctoritate munificentia eo splendoris et dignitatis proiectum , qua nunc videmus excellere omnis politioris litteraturae cultu et solidissimae cuiusvis disciplinae gloria uberrimaque ingeniorum segete florentissimum . Hujusce autem augusti sapientiae domicilii jam tum jecerat fundamenta , cum pecuniam sibi a Parente in privatos usus permissam ultiro devovit stabilientes et amplificandae eruditissimorum Hominum societati , qui historiae praesertim , et mathescos laude celebrarentur , quorum doctrina non solum eximiam inter suos existimationem illis conciliavit ; sed tota

Ilate Italia ita est pervulgata, ut apud omnes magno in honore sint habiti, qui de litteris ac litterarum cultoribus aliquid possent judicare. Etenim qua mentis acie valebat minime vulgari, mature compere rat, nihil esse humano generi magis frugiferum et salutare, quam intelligendi vis et alacritas, honestissimarumque facultatum decus et incrementum. Dicserat itidem probatissimorum Scriptorum testimonio Romanum Imperium sub Augusto non tam opibus armis potentia fortitudine bellandi virtute vincendi felicitate artium nitore et industria, quam rei litterariae studio atque amplitudine fuisse maxime commendatum; Graeciam vero quamdiu scientia, et eruditione praestitit, omni cum civili tum bellica laude domi et militiae praestitisse. Quapropter nullam sibi curam omittendam esse censuit, ut validissima quae posset eis festinaret subsidia, quibus olim moderandis praeficeretur. Non absimili ductus consilio egenis et obscuro loco natis adolescentibus asylum aperuit, ubi et ad vitam necessaria illis suppeterent, et summa iidem credendi agendique ex Catholicae Religionis praescripto capita, et Italicae linguae elementa commode accurateque docerentur. Ad hoc leges atque instituta studiosae juventuti ad ingrediendum firmiterque insistendum bonarum artium iter excitandae atque adjuvandae quondam invecta restituit amplificavit confirmavit.

Porro minime omnium latebat VICTORIUM, litteras et liberalissimas disciplinas parum prodesse Reipublicae , nisi artibus qua excolendis qua provehendis ad quotidianos vitae usus transferantur . Neque enim satis est sibi cives scire , nisi re ipsa palam fecerint caeteris quoque se scire . Neque Archimedes Demostenes Xenophon tamquam viri optime de patria meriti tantopere praedicarentur , si geometria eloquentia historia , qua ipsi mirum in modum pollebant , ad retundendum hostium impetum , ad abjectos et despondentes suorum animos erigendos , ad exercitus recte administrandos duce uti atque adjutrice neglexissent .

Nimius sim , BEATISSIME PATER , si ea omnia commemorare velini , quae praestitit Rex fortissimus ad Augustam Taurinorum aliasque Urbes honestandas aut communiendas , ad explicandum promovendumque commercium , ad utiles quaslibet ac quaestuosas artes invehendas expoliendasque . Quis enim enumeret publica aedificia , quae ab ipso perfecta sunt , aut a fundamentis excitata ? Quis Tempa , quae plurima atque optima donavit supellectile splendideque exornavit ? Avita sepulcra , quae Regio Ipse instauravit cultu amplificavitque ? Quis idoneas recenseat ac percommendas in tot abruptis , atque asperis locis patefactas vias ? Amplas item domus

viduis nobili genere excipiendis alendisque Matronis destinatas : tum arces extractas , atque in meliorem formam redactas ? Illud tamen praeterire tacitus minime possum , quod ad mercaturam expediendam proferendamque nonnullis hanc exercere solitis magnam argenti vim dederit mutuam , unde maritimo commercio aducto , pace praeterea cum Marochii Rege composita , eum sortitus est exitum , ut naves onerariae , Regio VICTORII Vexillo instructae ad remotissimas , et illis antea intentatas Terrarum plaga transmiserint . Quid de artibus dicam , illis praesertim quae ornatissimae nobilissimaeque putantur , de pictura scilicet sculptura musica aliisque minime vulgaribus , quae VICTORII auspiciis ad tantum decus pervenere , ut Italiae pars Sardiniae Regi subjecta cuiquam etsi florentissimae totius Europae Provinciae ea in re vix invideret ?

Jam ad reliqua festinantem intercipit quodammodo ac remoratur Agricultura , illa inquam ars parens societatis populorum altrix caeterarum itidem artium columen et firmamentum . Cui quanta per eum accessio facta fuerit testatur ab eodem constitutus spectatissimorum aequae ac rei agrariae peritis simorum hominum caetus , quorum esset assiduo inquire , solerter expendere , diligenter curare , quidquid soli ubertati et frugum copiae expedire potissi-

mum videretur . Caeterum cum mihi propositum sit de Rege hoc loco dicere , video multa VICTORII decora vel prorsus praetermittenda vel leviter prae-stringenda , frugalitatem modestiam facilitatem eisque similia , quibus privata caste ac temperanter vivendi ratio niti plurimum solet ac commendari . Verum aliqua haec inter occurunt , quae quasi cognatione quadam cum regio munere et potestate continentur , ut alterum ex altero fas sit oratori arguere et confirmare : cuiusmodi conjugis praecipue et parentis esse officia curamque rei familiaris nemo inficiet . Hoc certe nomine apud Caesarem laudare non dubitavit regem Deiotarum romanae eloquentiae Princeps ; eosdemque olim habitos fuisse regendae multitudini maxime idoneos , qui optimi patres-familias haberentur et forent , quique agris colendis pascendisque gregibus operam aut diligentiam intendissent , vetera sacrae juxta ac profanae historiae monumenta evincunt apertissime . Quae cum ita sint quis mihi jure succenseat , si VICTORIUM efferendum putem ex sincero animi affectu et indulgentia , qua regiam Uxorem est prosecutus ; tum ex studio in primis et solertia singulari , qua ad liberos bene religioseque educandos semper incubuit ? In quo profecto Regis laus eo magis elucet , quod in eis formandis regni sibi haeredes et successores se se for-

mare intelligeret. Ex his quam praeclara consilii sapientiae moderationis paternaequa in subditos charitatis dederit experimenta CAROLUS EMMANUEL cum primum imperii summam est nactus , jampridem accepimus ad nos uno omnium sermone delatuni . Quid ita vero ? Nonne haec tanta istius gloria et expectatio illi magna ex parte tribuenda , qui filio dulcissimo nulla in re unquam defuit , quae modo regiam quamlibet virtutem ei valeret inspirare ?

Omnia hic commemorare , quae praestitit Pater amantissimus idemque diligentissimus , ut subjectis sibi gentibus amplissimum post se moderatorem beneficentissimumque relinquenter , necesse minime est coram te verba facienti BEATISSIME PATER , qui sacra dignum purpura judicaveris , et in curarum rerumque gravissimarum partem adsciveris Virum illum pietate fide maturitate doctrina nulli secundum , cui VICTORIUS EMMANUELEM instituendum informandumque commiserat . Eas potius juverit dotes dicendo persequi , quas certo proprioque verbo regias appellaveris : justitiam gravitatem beneficentiam liberalitatem constantiam aequanimitatem , in quibus singulis qualis quantusque fuerit VICTORIUS si pro rei natura , et magnitudine ostendere aggrediar , non ita facile possim orationis exi-

tum invenire . Quare faciam , quod Geographi solent , qui multiplicis lateque patentis regionis imaginem satis angustis inclusam spatiis exhibituri praecipuas tantum ejus partes describere satagunt , quae levioris esse momenti cognoverint , eorum inscripto nomine denotatis . Esto igitur gravem largum justum beneficium experti sint quicumque tandem soliti vel munere fungendi gratia ei praesto esse , vel ad eum in rebus dubiis aut profligatis confugere . Eo tamen plenius et luculentius in ipso se prodidit animi magnitudo atque constantia , quo praesentius adducta est in discriminem , quoque gravioribus cum obstaculis et inimicis ei fuit conflictandum .

Refugit mens recordari quam triste , et periculosum bellum aliquot abhinc annis Italiae fines invaserit . Quanta exinde instarent mala non solum ad populorum excidium , et Urbium agrorumque vastitatem , verum etiam in morum , et religionis perniciem jam ab aliis atque aliis terrarum plagis ad nos fama pertulerat . Jam pestiferum in ipso Italiae sinu virus serpebat : jam Italorum non paucos insana quaedam improbae effraenataeque licentiae cupido incesserat . Nullum ex alia parte satis tutum adversus impendentia discrimina et calamitates occurrebat perfugium , nulla nisi anceps optatissimae tranquillitatis concordiaeque restituendae patebat via . Eo

plane res inclinaverant , ubi vix consilio necessitas locum relinquere . His implicatus et circumventus angustiis pacatissimo Rex ingenio in armis opem et praesidium ad suas regiones tutandas quaerere impellitur . Incertae praeliorum vicissitudines , adversariorum in pugnando ardor et pertinacia , maligna quedam intestini dissidii et defectionis germina nondum fortasse funditus extirpata , publicae privataeque superioribus incommodis imminutae vires ardua omnia et salebrosa ostendebant : non ea tamen erant , quae Regis constantissimi frangere aut deicere animum possent . Cum igitur ancipiti in concertando non semel usus esset fortuna , nonnulla etiam interdum detrimenta esset passus , nunquam tamen ab incoepio destitit ; et licet assiduis eisque molestissimis curis laboribusque attritus , et adversa demum valetudine debilitatus , ingentem belli molem intrepidus quatuor prope annos sustinuit .

Utinam constantiae suae uberes illos percepisset fructus , quos omnis Europa sperabat perceptum , bonique omnes sibi vehementer optabant , ei- que votis communibus ominabantur . Sed aliter illi visum est , qui populorum regumque sortes ex arbitrio moderatur ac versat : cuius imperio res serviunt atque obtemperant omnes quacumque orbis patet uni- versus : cuius voluntati ac providentiae probi hone-

stique homines pariter ac perditissimi quique mortaliū obsequuntur . Quoties hic Hebraei populi tribus alias sui cultum integrum inviolatumque servantes , in aliarum perniciem compulit atque excitavit , si quae ab avitae religionis candore temere deflexissent ? Quoties ex ipso Abrahami genere principes a majorum institutis et per Moisem tradita Lege aberrantes in Israelem armavit aequissimis scelerum , et perfidiaē suppliciis afficiendum ? Facessant aliquando si quibus propositum est omnia ad rationis trutinam expendere , omnia apud eam in judicium vocare , de omnibus ex ejus sententia aut cognitione decernere ; quique nihil non humanis consiliis et viribus concedendum perperam arbitrantur . Infinitae ii tandem fasces submittere non graventur providentissimaeque sapientiae , quae quo aequius ac maturius res cunctas administrat et regit , eo magis nostrae mentis aciem fugit ac superat facultatem . Id sibi verissimum certissimumque semper proponens VICTORIUS , quemadmodum difficillimis maximeque periculis temporibus nulli unquam contentioni nullique pepercit incommodo , ut publico bono et incolumitati consuleret ; ita si quid contra durum infestumque accidit , divinae sese ultiro voluntati subiiciens pari animi firmitate exceptit ac sustulit . Praestat hic memoria repetere Regem illum celebratissimum post

Saulem Israeliticae genti Deo auctore praepositum , qui quam strenuus fuit in tetricorum hostium retinenda audacia et militiae laboribus periculisque obeundis , tam fortem ac temperatum se praebuit cum per ingratissimi filii ambitionem et scelus concitata in eum multitudine subitae fugae acerbissimos causus atrocissimasque suorum injurias impavidus devoravit ; in quorum scilicet vi et impudentia ultricem Dei dexteram sibi inspiciendam statuisset .

Aliquot jam praeliis superiores discesserant Galli , rumor , ut fit , inclinatam ad eos belli fortunam praeter veritatem amplificaverat atque improvisum fluctuantibus Populis metum injecerat . Quo loco res sese habeant Regi nunciatur . Is propere coacto procerum concilio , quid in tam praesenti discrimine optimum factu sit diligenter inquirit . Hinc praesidia subeunt Quid plura ? Id enim tum praestitit prudentissimus Rex , quod sibi pro suorum populum incolumitate praestandum esse duxit . Ad audiendum scilicet hortabatur VICTORIUM regalis dignitas , cui , si cederet non levem instare labem et perniciem posset praevidere . Subditorum salus et vita agebatur , quae in novas foret clades necessario obiicienda , si acie decernere institisset . Vicit in mittissimo Principe , qui a caede et sanguine vehementer abhorreret , vicit suorum amor et pietas . Cer-

tam eorum incolumitatem et pacem incertis belli motibus et periculis etiam cum quolibet juris auctoritatisque regiae detrimento praeserendam esse decrevit; sic Davidis pariter aequanimitatem et mansuetudinem aemulatus, qui cum secum haberet delectam armatorum manum extrema quaeque pro eo experiri paratissimam, maluit a Regni Sede profugus et extorris proficisci, quam fidos corporis sui custodes omnemque civitatem in apertum discrimin adducere. In hanc porro Princeps religiosissimus eo facilius discessit sententiam, quo magis exploratum habebat quaecumque misera atque adversa adhuc evenerant, certo Dei nutu et consilio evenisse aequissimas a mortalibus impietatis et nequitiae poenas expetentis, cuius idem arbitrio Israelitici regis exemplo se ac sua omnia devoverat.

Mirum tibi fortasse visum sit, BEATISSIME PATER, quod de praestantissimo Christiani Principis decore, validissimoque rite ac sapienter regnandi praesidio atque adjumento pietate videlicet in summum universi Orbis Dominatorem et Catholicae Religionis studio vix quidquam adhuc attigerim. Quae ego quidem ad extremam orationis partem censui reservanda, non quod aut inter regias dotes levioris esse ponderis judicaverim, aut minus fortassis quam caeteras VICTORIO convenire, sed ut ex cla-

rissimis et plurimis , quae sub vitae exitum eorum
 praetulit argumentis facili coniectura unusquisque
 posset arguere quot quantaque annis superioribus de-
 derit : quae profecto singula paribus prosequi verbis
 aggredientem a praestitutis dicendi finibus quam lon-
 gissime avocassent . Ita scilicet mihi opus non erit
 immorari in ea expedienda , qua constanter antea usus
 erat religiosi hominis disciplina , modo intra dome-
 sticos parietes , modo in locis , ubi publicus supre-
 mo Numinis cultus solet adhiberi : neque facilitatem
 efferre , qua regalem solebat majestatem delinire , si
 quando non dicam , aliquis Ecclesiae praesulum vel
 optimatum , sed privatus quisque Deo peculiari no-
 mine mancipatus ad eum forte accederet aut exhi-
 bendi officii gratia , aut opem et patrocinium implor-
 randi : neque observantiam singularem praedicare , qua
 Te et augustam hanc Petri Sedem jam tum est pro-
 secutus , cum Regem agere coepit omnia statim de
 medio tollere adortus , si qua suberant , semina et
 incitamenta simultatis , omnia itidem ordinare et com-
 ponere , quibus mutua concordia foveretur atque con-
 sisteret . Etenim rem me arbitrabor confecisse , si ea
 tantum subjecero , quae sub extremum vitae spatium
 piè religioseque gessisse illum accepimus . Eum quae-
 so tibi propone diem funestum oppido atque impor-
 tunum , quo VICTORIUS improvisa vi morbi gra-

viter percussus trepidantibus caeteris et luctu conster-
 natis , ipse unus visus est non timere , et de instan-
 te vix interitu cogitare , tanta in ejus ore vultuque
 animi magnitudo tantaque firmitas eminebat . An
 non in illo tibi videris expressam integerrimi proba-
 tissimique viri intueri imaginem , qualis a Salomone
commendatur , cui nempe nullum mors angorem nul-
 lumque metum sit allatura , qui que cum castè sa-
 pienter moderatè aetatem omnem transegerit , tantum
 abest , ut extremi judicii severitatem reformidet , quin
 potius par benefactis proemium et immortalem glo-
 riae coronam praestoletur ? Libenter supersedeo a
commemorandis verae solidaeque pietatis indiciis ,
 quae ad supremum usque spiritum exhibuit multa
 et luculenta , ne dum optimi Principis memoriae
 laudique obsequior , inflictum cordi tuo ex acerbo
 ejus funere vulnus videar quodammodo refricare .
 Recolere potius praestiterit in quantam devenit jam
 nunc apud omnes bonos famae celebritatem egregius
 ejus Successor , qui regni sui initia clarissimis ju-
 stitiae moderationis parsimoniae prudentiae religio-
 nis exemplis consecraverit . Ut merito liceat de ipso
 dicere , quod de Josia scriptum legimus , quo ferme
 tempore flagitia maxime invaluerant in pietate fir-
 missime perstisset , de amplissimo autem ejus Pa-
 rente palam praedicare , ipso vita functo , ejus semen

et gloriam minime defecisse. Mecum enim ipse reputans, quae CAROLUS EMMANUEL ingenii animique regii praesetulit documenta tum vel ab ineunte aetate, donec intra privatae conditionis versatus est fines, tum praesertim ex quo avito solio cossedit, adhuc spirantem intueri mihi videor VICTORIUM AMADEUM, quem ad gravissima Regis munia scite diligenterque obeunda natura comparavit, disciplina formaverit, regnandi exercitatio et consuetudo perfecerit et confirmarit.



94-B
19766

